

C O R S I C A.

pian, è qua apes mella legunt. Venenata etiam credit Ovidius. taxus enim veneni aliquid habet. Illud jus apud ipsos: si quis in examen incidat, statim sibi vendicat. Solus hic ager lapidem gignit Cathochitem, quem Democritus Abderites etiam in certamine contra magos adhibuit. Rhennius de Corsica:

*Hanc solam perhibent Cathochitem gignere terram,  
Corporibus lapis hic ceu glutine tactus adhaeret.*

Similia tradunt Plinius lib. 36, cap. 10, & Solinus cap. 9, sed Plinius de rei fide ambigit. Alumen quoque hic reperitur, & ferri fodinae sunt apud fluvium Bivincum in comitatu Nebiensis. Sunt & salinae, vulgo dictae della Roia, non longe à portu S. Florentii. Prope Niolum sunt valles profundissimae perpetuis nivibus scatentes, sub quibus ajunt crystallum copiose latere. Animalia producit varia, equos in primis feroces, & canes venaticos spectatae magnitudinis. Musmo quoque animal, Plinio auctore, hic est, arietis genus, Mosli hodie vocant: animal, praeterquam in hac insula & Sardinia, in tota Europa nusquam adparens. Habet corium & pilos instar cervi, & cornua instar arietis, non longa, sed retro aures reflexa, praecipuae duritiei, ut si altitudine 50 pedum praecipitetur inter saxa, ac capiti incumbat, non laedatur: magnitudinem habet cervi mediocris, solisque herbis vescitur, cursu praeditum velocissimo, carnesque habens gustu sapidas. Ovibus etiam & bobus referta est, quorum carnibus & lacte vescuntur.

*Diviso.*

Hodie Insulam bifariam in duas partes distinguunt. Plagam quae orientem Solem respicit,

Latus interius, partem verò huic obversam, Latus exterius vocant. Pars quae Italiae propior est, Cismontana, quae versus Sardiniam excurrit, Ultramontana dicitur.

Urbes Plinius in ea 33 fuisse testatur, quod *Urbes.* etiam ex eo notavit Martianus Capella. Ex Strabone tamen non tam civitates, quam castrum fuisse videntur. Hodie opidum est Bastia, in quo summus Gubernator praesidium habet. Est & Nebbium civitas cum Comitatu; eam Ptolemæus *νεπολιον* videtur appellasse.

Fluminibus rigatur Volerio, qui nunc in sinu *Flumina.* D. Florentii incidit, Gelone, Tavignano, Sagano, Bavono, Tegiamo & nonnullis aliis. Fluvius Circidius, *Le Ripe fiume* dicitur.

Promontorium Tili, *Capo Martello* dicitur, *Promontoria.* promontorium Atii, *Punta di Laccivolo*, sinus Casalus, *Piggia di Casari*, promontorium Viriballum, *Capo di Gargano*, promontorium Rhium, *Capo di Feno*. Olim hic propugnaculum Romanorum fuit, quod hodie *Torre Vignale* vocatur.

Portus habet binos, satis amplos, maximorum navium capaces, in sinu qui vocatur S. Florentii. Est & S. Bonifacii portus, Ptolemæo portus Syracusanus dictus. In mari Corsicam & Sardiniam inter coralium legitur. *Portus.*

Montes silvis, quae refinam exhibent, vestuntur. Horum nominatissimi sunt, *Illia Orba* dicti, item *Cheparteno*, *Tenda*, *Gualango*, mons *Rossus*. *Montes.*

Hodierni Corsicae incolae etiamnum, ut olim, *Mores.* habentur homines agrestes ferocesque, qui vel ipso aspectu animi ferocitatem referant. Homines pauperrimi, à literis prorsus alieni, otio, & desidia dediti.

